



1.



Postquam haut ita pridem supremi Dei in homines explicauimus morale regnum, multo iam nobis facilius expeditiusque erit, quidnam in eo vere iustum, quid item honestum natura decorumque sit, curate definitum dare. Primum hic, ut apparet, gradum iniusto constitui- mus, quippe quod ante omnia necessarium sit homini; necessaria enim praecedere merito reliquis debere uni- uersis, indubia est veritas. Nimirum ubi ad ali- um respicitur superiorem, cuius ea est in nos potestas, ut aliquid a nobis recte exigat, ab eo quod iustum est, iu- stum appellatur. Vbi vero ad alterum ipsi subiectum re- spicitur, cuius ea est conditio, ut, nisi suam sibi machinari perniciem velit, superioris ad mandatum se componere omnino debeat, idem & necessarium nuncupatur. Jam cum Deum Dominum agnoscamus terrae, hominumque summum Regem, ac nos eius naturales ciues, quidquid cum norma conuenit, a Deo praescripta nobis, itaque con- gruit nostrae naturae, ut, absque eo si sit, salui esse haut possimus, id naturaliter iustum habetur. De quo cum tot iam proflent commentarii aliorum, nos illud ex vero arcessere principio studebimus, singulasque eius partes le- gitima serie connectemus, & quomodo ad ipsam iusti prae- stationem felicissime homo perducatur, demonstrabimus: adeoque, Deo opitulante, totius conspectum iuris natu- ralis a multis naeuis repurgati ita dabimus, ut aequus le- ctor ac cupidus veritatis nos actum non egisse, sit depre- hensurus.

A

S. 2.